

Fegefeuer, der Ort, Freib. 1, 123^b: nota, quomodo perfectio glorie secundum contemptum mundi est ordinata. quomodo infernus est in corde terre, purgatorium supra, nec ita profunde, ut celum alte supra terram est, in quo ostendit et docet Dominus omnes, quod, qui terram (tria predicta, que terre vel mundi nomine vocantur) supra modum nimis diligit, in infernum locabitur, et quanto plus, tanto profundius. sed qui non nimis, sed parum plus debito, in purgatorio; qui vero nihil, in neutrum, sed statim evolat. sed qui alte contempnit, alte a terra in celum levabitur. Im Fegefeuer sind nur Christen, Spec. 67, 2: purgatorium — ibi nullus est judeus, hereticus vel paganus aut malus christianus. Ein Tag währt dort so lang wie auf Erden ein Jahr, ebenda: ideo aliquis istorum ibi ardet tantum vel tantum. et quia Domino non solverunt ad plenum debita, projecit eos in carcerem, non tamen ut inimicos, sed donec solvant debita. sed plus solveretur hic uno die vel tantum, ut ibi per annum, *cum tamen ibi sit dies ut hic annus et plus*. Zweck des Fegefeuers, Spec. 89, 1: secundi, quorum valde pauci sunt supra modum, quorum tamen supra modum multos esse putatis, vos laici, cum sint paucissimi. hii sunt, qui semper peccaverunt in hoc vel in hoc, et qui perseveraverunt in illo peccato usque ad mortem, et tunc primo conterebantur. qui significantur per aërem, qui nunquam quiescit usque ad ultimum diem, sed nunc pluit, nunc ningit, nunc grandinat, nunc fulgurat, nunc tonat, nunc flat. et quidam usque ad ultima tempora, id est, usque ad mortem nunquam a mortalibus quiescunt: nunc faciunt illa peccata, nunc illa usque ad mortem, et tunc primo conteruntur. verum est, si vere conteruntur, quod tamen raro unquam contingit. verum est, bene dolent multi, sed non sufficienter, quod scilicet Deo sufficiat, quia non possunt ex dolore; si tamen vere dolent, licet hoc rarum sit, tamen aliquando recipit eos Deus ex misericordia et transmittit ad purgatorium, ut ibi ardeant triginta vel quadraginta vel sexaginta vel centum annis, vel ducentis vel quingentis vel mille vel usque ad diem iudicii. putatis omnes, quod horum sint multi, qui tunc conterantur vere, et multi proponunt, quod tales fieri velint, sed sciant pro certo, quod horum sunt paucissimi, quia mors tantum torquet et imminuit sensum, quod vix homo tunc potest ad se redire. sed dicis: „pater meus veram